



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Liber De Prudentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. XVIII. Hortatur ad modestiam oculorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

Ille pretiosus deuotionis seruis tanto labore collectus, quomodo tam facile, ac vanè paucis verbis otiosis dissipatur. Vsquequò serui mei Religiosi sine intellectu erunt, non cōsiderantes, linguam, modicum esse ignem, sed magnam syluam incēdere? Vsquequò pacem cordis, quæ cum verborum licentia cohærere non potest, paruipendēt? Attendite filij, quæ dico, & silentium, quod est iustitiæ ornatus. & monasteriorum decor, studiosissimè colite. Et ego vobiscum intus loquar, & quasi modo genitos infantes, consolationis meæ dulcissimo lacte nutriam: & velut arca clausa noui testamenti, seruabitis Manna suauitatis meæ.

## CAP. XVIII.

*Hortatur ad modestiam oculorum.*

**O**CVLI filiorum Heuæ depraedati sunt animas eorū: & portæ mortis, per incautum aspectū, apertæ sunt. Vidit mulier lignum visu pulchrum, quod utinam non vidisset. Hæc est origo mortis, quæ in omnes homines pertrāsijt, & aspectū à ligno vitæ diuertit.

Propte-

Propter eam serui mei, qui æternæ vitæ desiderio tenentur, auertunt accuratissimè oculos suos, ne videant mundi vanitatem, quæ stulta corda seducit. Melius est certè, filij mei, oculorum carnalium luce, cum salute animæ, carere; quam spectaculis mundi parùm castis, & pijs, ad æternam mortem vulnerari. Idcirco Iob, fidelissimus amicus meus, pepigit fœdus cum oculis suis, ut ne cogitaret quidem de Virgine. Turpes enim cogitationes illum vexassent, nisi Sanctum fœdus cum oculis pepigisset. Claudite, & vos, filij, mortis fenestras, & corda vigilanter custodite. Certè si desideratis delectabilia valde regni mei spectacula videre, formosissima corpora glorificata, & pulcherrimam vrbs sanctæ structuram (cuius ego, ut sapiens architectus, fundamenta in montibus sanctis posui) circumspicere; debetis à mortalium corporum aspectu libenter abstinere. Quin etiam, & propter præsentem internæ lucis claritatem, qua oculi cordis delectantur, immensæ utilitatis, & consolationis est, oculos carnis coercere.

Profe-

Profectò, filij, doctrina hæc dulcissima de oculorum modestia, scholæ meæ propria est. Virginis enim filio oculi in altum surrecti placere non possunt. Atque ideò non frustra Euangelistæ mei notarunt, me oculos in rebus grauioribus subleuare solitum esse: quasi dicerent, me illos non subleuatos habere consueuisse. Et hæc iusta quærimoniarum causa est, quam habeo aduersum feruos meos imitatores filiarum Sion, quas odiui, eò quòd erecto collo, nutibus oculorum ibant. Etenim si considerarent, quid ipsi de interiori luce deperdant; & quale scandalum proximis opponant; modestiæ honestatem, & decorem studiosius quærent, & inuenirent. Estote, filij, imitatores mei, & honestissimæ matris meæ, & sincero columbarum intuitu, me solum intueri desiderate, accedenteque retributionis tempore, dicam vobis: Respicite iam, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat expectata valdè, & infinitæ consolationis plena redemptio vestra.

CAP.